

quando etiam casu fieri earum occasionem. Miti hoc ac tractabili veritatem tractandi modo, bonae causae minime nocebant, Gregorii Nazianzeni memores: *Non in verae, inquit, doctrinae detrimentum paci studemus, nonnihil de animorum contentione remittentes, non enim, quod bonum est, male aucupamur, ut facilitatis & mansuetudinis famam colligamus.* Rectis nempe sic pedibus incedebant, illud aequissimum reputantes, quibuscum nulla amicitia nullaque intercederet concordia, hos nec serentino ingressu, aut halitus perniciosi contagio laedendos esse. Tormentis navium, in signum, sub quo, ac quibuscum militent, explosis, non turbatur maris tranquillitas; Hoc namque militia sibi Christiana, in militante Ecclesia proprium habet, ut vastationibus non gaudeat, leges minime migret, laesionibus, per iniuriam illatis, non delectetur, sed iure metiantur omnia Athlethae, quos *νομιμὸς* requirit Apostolus, ac ne aliter, quam *νομιμῶς* pugnent, diligentissime cavet. Non pacem sectari saltim, sed pangere quoque ac resarcire inter alios ruptam, *σπατηγὸς τῆς εἰρήνης*, quassatamque, malo, antenna velisque praecisis atque remotis, servare studet naviculam, *εἰρηνοποιῶν* scilicet cupidissimus privilegii, quo filii Dei sunt, quantisque possunt, efficiunt viribus, ut Sospitator optimus ubique, rebus, terra, marique com-
posi-